



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

50. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

nostros constringantur, ut secundum consuetudinem priorem solvant unius anni nonam & decimam cum sua lege, & insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuntietur, quod quicumque hanc negligentiam iteraverit, beneficium unde hæc nona & decima persolvi debuit amissurum se sciat.

Item de eadem re. *Cap. vi.*

XLVIII. Quicumque decimam abstrahit de Ecclesia ad quam per iustitiam debet dari & eam præsumptuosè vel propter munera aut amicitiam vel aliam quamlibet occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, à Comite vel à Misso nostro distringatur, ut ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

Lib. 5. Capitular. c. 145. & Addit. IV. c. 75.

Item de eadem re. *Cap. vii.*

XLIX. De decimis quas dare populus non vult nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est ne fiat. Et si quis contemptor fuerit inventus, ut nec Episcopum nec Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad præsentiam nostram venire compellatur. Ceteri verò distringantur, ut inviti Ecclesiæ restituant quod voluntariè dare neglexerunt.

Lib. 5. Capitular. c. 46. Lex Longobardor. lib. 3. tit. 3. c. 8. Burchard. lib. 3. c. 134.

Item de eadem re. *Cap. ix.*

L. De illis qui agros dominicos propterea neglexerunt excolere ut nonam & decimam exinde non persolvant, & alienas terras ad excolendum propter hoc accipiunt, volumus ut de tribus annis ipsam annonam cum sua lege

Lib. 5. Capitular. c. 147.

D



perfolvant. Et si quis contemptor aut Comitris aut Missorum nostrorum propter hoc extiterit, sub fidejussoribus ad palatium venire compellatur.

Item de eadem re. *Ex Concilio Meldensi cap. LXII.*

L I. Hi qui ex rebus ecclesiasticis nonas & decimas persolvere & facta recta Ecclesiæ secundum antiquam auctoritatem & consuetudinem restaurare debent, & hoc non solum negligunt, verum & contemnendo dimittunt, atque Clericos fame & penuria afficiunt, ecclesiastica quoque ædificia dissolutione adnullari permittunt, tandiu ab ecclesiastica communione separentur usque dum diligentia emendare studeant quod socordia neglexerunt. Quod si iterum iteraverint, post excommunicationis satisfactionem, regia potestate compulsi, juxta legale & antiquum edictum: *Qui negligit censum, perdat agrum.*

Item de decimis. *Ex Capitulis Karoli.*

Capitulare ad  
Salz c. 2.

L II. De decimis ubi antiquitus fuerunt Ecclesiæ baptismales, & devotio facta fuit, juxta quod Episcopus ipsius parræchiæ ordinauerit, omnimodis fiant donatæ. Et si per donationes Regum aut ceterorum Deum timendum bonorum hominum ad episcopia seu monasteria aliqua res delegatæ sunt, & ex ipsis rebus antiquitus ad ipsas Ecclesias priores decimæ datæ fuerunt, ipsa antiqua donatio vel devotio firma & stabilis permaneat. Tamen, ut supra diximus, decimas de ipsis rebus, quæ